DE FONTIB

HISTORIAE S

IN LIBRIS MACCAB.

PROLUSI

LIPSIAE EDIT

IN EXAMEN VO

AB

ERASMO FROELI

SACERDOTE

VIENNÆ AUSTR

EX TYPOGRAPHIA AULICO

ANNO M.DCC.XLVI

NTIBUS

E SYRIAE

CABAEORUM,

USIO

EDITA:

N VOCATA

B

OELICH, S. J.

DOTE.

AUSTRIÆ,

AULICO-IMPERIALI.

DCC. XLVI.

825

ALter jam annus abiit, ex quo Vindobonæ typis vulgati ſunt: *Annales Compendiarii Regum, & Rerum Syriæ, Numis veteribus illuſtrati, cum amplis Prolegomenis.* Altera, tertiaque Prolegomenorum iſtorum parte, ipſisque in Annalibus comprobatum eſt: *Macchabæorum Libris duobus*, cum certa veterum Numiſmatum Chronologia, Regum Seleucidarum ſerie, Titulisque, atque aliis cum rebus mirum in modum convenire.

Ufferat ea res Proteſtantium quosdam, qui (uti eos inter eruditi, ſagacesque Viri minime deſunt) facile intelligebant, quantum Hiſtoricæ quoque auctoritatis *Macchabæorum ambobus Libris* inde accederet, quorum fidem ac veritatem, quo majore reverentia ſuſpiciunt Catholici, eo acrius ipſi ſibi ducunt impugnandam.

Primum itaque *Prolegomena illa, & Annales*, cum in *Actis Eruditorum Lipſienſibus* (a) recenſeret Vir eruditus ac diſertus, obmovit illic nonnulla dubia, atque, tametſi meam illam opellam (Annales nempe Syriacos) haud parce Idem dilaudaret; temperare ſibi tamen minime potuit, quin *Macchabææ Hiſtoriæ* auctoritatem quaqua demum ratione impeteret.

Ego, quod neque laudibus magnopere, objectis vero dubiis illis (quæ vel ab aliis olim diſſoluta, vel a me ſatis occupata cre-

A 2 de-

(a) Menſe Septembri anni 1745. pag. 481.

debam) nihil moverer; tacite ista habere, atque quiescere tum quidem constitui.

Eo silentio fretus alter Vir clarissimus, *M. Ernestus Frid. Wernsdorfius*, nuper admodum adversarius mihi, aut *Libris Macchabaeorum* potius, de improviso extitit, qui Philosophiae suae Professioni extra ordinem proludendum sibi putavit, edita elegante Dissertatione, hac epigraphe: *De Fontibus Historiae Syriae in Libris Maccab. Prolusio.* Quam aegre hic quoque Vir doctus argumenta mea tulerit, e numis antiquis petita, hisce verbis, de me agens, luculenter aperuit: (b) „ Horum auxilio Numismatum, quorum „ largam copiam, in aes incisam, sub finem libri aliquot tabulis „ exhibet, inprimis nititur in Annalibus Vir - - -, horum be„ neficio penetrat, quo desperavere alii; in hoc uno tamen sibi „ indulget, quod spectat ad Auctores Librorum Maccabaeorum, „ quos adeo defendit operose, ut ad horum sensum saepius tra„ xisse numos videatur.

Sentio enim vero, Viro perspicaci molestiae aliquid injicere tot illa antiqua numismata. Attamen haud abs re fortasse fuerat, si unum saltem, alterumve *Vir. Cl.* indicaret Numisma, quod ego invitum traxissem, doceretque, quam in sententiam, qua injuria traxissem. Equidem *nusquam* id *Vir Cl.* ostendit, quod *saepius* factum sibi videri asserit. Sane toto eruditae *Prolusionis* decursu, tametsi varia expediantur arma, est ibi perpetuum, altumque de Numis antiquis, quae per vim aliquorsum traherentur, silentium. Et vero ipse contra *Cl. Prolusor* sub finem ea retractare videtur, quae sub initium de Numis exciderant; ita certe habet: (c) „ Quamquam „ igitur, quod ad Numismata, & annos iisdem inscriptos atti„ net, facile assentior eidem, cum ipsi mihi, beneficio consultis„ simi cujusdam in hac urbe Viri, complures ab Antiocho pro„ cusos Numos oculis usurpare, manibusque tractare contigerit.

Neque solus hic *Prolusionis* locus est, quo veluti retractare aliqua, aut, si apertius dicere licet, secum potius, atque mecum pugnare voluit *Cl. Wernsdorfius*. Nam, vel sub initium, ubi de instituto suo, deque Criticis quibusdam, in dignoscenda Historicorum auctoritate, placitis agit, non satis apta cum consequentibus omnia, aut ambigue quaedam dicta, mihi quidem videntur; ut vitio

(b) Prolusionis pag. V. (c) Prolus. pag. XIII.

vitio mihi verti non debeat, si *Cl. Adversarii* mentem non sim fortassis, aliqua in re, plane penitusque assecutus.

Enim vero de præstituto sibi fine ita *Cl. Vir* profitetur: (d) „ Non mihi res erit de auctoritate Libb. Maccabæorum, in rebus „ ad salutem hominum æternam spectantibus, non de fide eo- „ rum, in Historia Judaica; tantum hos in profana Syriæ Histo- „ ria minus idoneos fontes esse posse declarabo.

Quod si de *Fide in Historia Judaica*, rem sibi *Cl. Prolusor* esse non vult, ecquid igitur (e) subinde illam *Jeremiæ*, Tabernaculum, atque Aram in montis antrum abdentis, historiam impugnat, quando eam esse præcise *Judaicam* res ipsa loquitur? Ecquid illa porro sibi volunt, quæ paullo post verba, supra memorata, protulit, ita de *Libris Macchab.* scribens? (f) „ Quod si enim, quod dissimulandum „ non est, nonnullis quoque in locis vera dixere, tamen hoc tan- „ tummodo tunc ab ipsis factum fuit, quum nihil illis commen- „ ti, aut figmenti in promtu erat, quod ad gentis *Judaicæ* gloriam „ spectaret. Distinguendæ igitur sunt περιςάσεις, resque ipsæ, „ quæ enarrantur, suis momentis ponderandæ: etenim si agitur „ de gloria gentis Judaicæ, de eorum fide vehementer dubito.

At cum *de fide in historia Judaica* rem sibi esse nolit, haud satis dispicio, alibine efficacius *Libros Macchabb.* figmentorum postulaturus sit *Cl. Wernsdorfius*, atque illic, ubi de *gloria gentis Judaicæ* tractandi se det occasio: ubi in promtu sit figmenti aliquid, quod ad gloriam gentis Judaicæ faciat; eam ego rem non esse profecto alibi, quam in *Historia Judaica*, tametsi aliarum gentium Historiæ utique illigata, quærendam existimo.

Ex iis porro, quæ modo recitabam, *Cl. Adversarii* verbis in aperto est: *Nonnullis* certe *in locis vera dixisse Libb. Maccabæorum* Auctores. At paullo ante severiore multo censura eosdem Scriptores notaverat ita: (g) „ Auctores Libb. Maccab. quia UBIVIS „ admiscent historiolas, extollendæ gloriæ Judæorum caussa tan- „ tum compositas, fidem suam, etiam quando ALIA narrant, „ dudum suspectam reddidere emunctioris naris hominibus.

Sed hæret isthic aliquid molesti scrupuli. Nam, si dissimulandum non est: *Nonnullis in locis vera dixisse* Historicos nostros;

 quo

(d) Prolus. pag. VI. (e) Prolus. pag. X. (f) Prolus. pag. VII. (g) Prolus. pag. IV.

quo demum pacto emunctioris naris homines dici poterunt ii, qui UBIVIS, nempe etiam dum ALIA, quam Judaica, narrantur, historicam eorum fidem suspectam habent? Deinde plus æquo Macchabæorum Historiam fastidire videtur *Cl. Prolusor*, qui UBIVIS admisceri historiolas, extollendæ gloriæ Judæorum causa tantum compositas, nequidquam contendat. Quid enim, quæso, vel primo, alteroque (ut reliqua prætercam) *primi Macchabæorum Libri* capite ad gloriam Judæorum confictum offenditur? Toto primo capite, post Alexandri Magni obitum, aliud nihil, nisi Judæorum lamenta, crimina, dura servitus, aliæque calamitates proferuntur; Historicus ipse, felicis illius, quo excidissent, status memor, lugubre istud de sua gente ingeminat: (h) „ Secundum gloriam „ ejus, multiplicata est ignominia ejus.

Quid porro toto capite altero ad gloriam confictum sese prodit? in eo sane, præter deplorata complura Judaicæ gentis mala, egregium illud atque forte Mattathiæ factum refertur, quo Judæum, Deorum ad Aras facturum, Regiumque una ministrum contrucidavit, collectaque fideli suorum manu, impiorum quosdam interemit, dispersit alios: res hasce, præclare gestas, nemo adhuc, quod sciam, inter fabulas ablegavit.

Quod si quædam fortiter patrata, gloriæque plenos bellorum successus aliquos, *Macchabæi Scriptores* commemorant, clades quoque suorum, ignominiam, servitutem, scelera, cruciatus prolixe syncereque multis in locis exequuntur: obvia certe sunt ejuscemodi in *Libri primi cap.* I. II. V. VI. IX. XII. XVI. item in *Libri secundi cap.* I. IV. V. VI. &c.

Livio, *Svetonio*, ceteris, Romana in Historia: *Herodoto*, *Thucydidi*, *Xenophonti*, *Polybio*, *Plutarcho*, *Diodoro Siculo*, aliisque, Græca, Romana, Barbaraque in historia, res admirandas belli, domique patratas, & quædam fidem propemodum superantia, quin & prodigia quoque non pauca proferre licuit, quin illi Scriptores continuo Fabularum propolæ audirent: quin idcirco fontes illi historiæ omnino desiccarentur. Quid est igitur, quam ob rem Macchabæis Scriptoribus fortia suorum, & vulgares ausus excedentia facta, & item prodigia quædam, grato animo recensere non liceat? cur fidem non mereantur, pio fidelique populo, pro avita Religione, cum vitæ dispendio, decertanti, si qua subsidia, atque osten-

(h) Lib. I. Macchab. cap. 1. ỳ. 24.

ostenta submisit DEUS; qui refractarios olim populi hujus majores illustrioribus etiam ostentis adjuvit, atque ad sui venerationem, timoremque tot prodigiis excitavit? Nisi vero istud præter ceteros historiarum Scriptores in Macchabæis displicet, quod Ecclesiæ Catholicæ maximopere probentur.

Quanquam cordati, & egregie docti Protestantes non desint, qui, si minus sacram illam, *Historicam* certe auctoritatem, de qua hic agitur, ambobus *Macchabæorum Libris* minime negandam putent, sed pari eos cum probatis Historicis, aut potiore etiam, loco constituendos existiment. Unius, ne sim longior, qui multorum instar in re historica, vetere inprimis & Asiatica, haberi potest, isthic suffragium proferam; est is *Jacobus Usserius*, celeberrimus antiquæ Historiæ investigator, unaque acerrimus Anglicani Calvinismi defensor: hic itaque in laudatissimis illis *veteris & novi Testamenti Annalibus*, magno judicio, & exquisita diligentia conscriptis, non modo utriusque *Macchab. Libri* testimoniis, tanquam præcipuis, Judaicæ perinde atque Syriacæ, eorum temporum historiæ fontibus constanter, ac liberaliter utitur; sed etiam *Tertium Librum Macchab.* (quem Catholici æque, ac Protestantes Critici prioribus *duobus Libris Macchab.* auctoritate inferiorem censent) Historiæ Judaico-Ægyptiæ fontibus, etiam præ *Flavio Josepho*, adnumerat. Usserii verba, ad annum ante Æram Christianam CCXVI. sunt sequentia: „ Quæ omnia fusius in Tertio Macchabæorum „ libro habentur descripta, quem in Ecclesiasticæ suæ historiæ initio Philostorgius portentosum vocat, nihilque simile primo explicantem. Quanquam tantam is apud nos obtineat authoritatem, ut inde Josephum corrigendum existimemus.

Itaque non omnes emunctæ naris Protestantes UBIVIS suspectam habent *Lib. Macchab.* fidem, sed eorundem auctoritati, etiam præ aliis quibusdam Scriptoribus, libenter acquiescunt.

De Historica auctoritate hæc dicta sunto; nam de sacra, sive de ea, (i) *quæ in rebus ad salutem hominum æternam spectantibus versatur*, rem sibi esse non vult *Cl. Prolusor*, & vult tamen.

Etenim, si de sacra auctoritate non agitur, haud satis perspicio, quid *Cl. Prolusor* postrema illa notula sibi velit, quæ vetus dubium ita repræsentat: (l) „ Ipse Auctor posterioris libri II. Macchab. „ fatetur se vehementer errare posse, cap. XV. 39. Quod si de Hi-

(i) Prolus. pag. VI. (l) Prolus. pag. XV.

Historica tantum, in profana Syriæ Historia, auctoritate disceptamus, nemo, ut opinor, unquam de *Historico* illud quæsivit: an errare, homo cum sit, in scribenda historia *possit*? verum an reapse erraverit? posse enim, & vehementer errare posse scriptorem, seposito Divini Spiritus arcano ductu, tametsi coævus atque industrius fuerit, ipseque aliqua eorum, quæ enarrat, gesserit, non modo omnes norunt, quibus perspecta est hominum imbecillitas; sed hoc etiam amplius aliquid de Historicis, Historicus ipse *Flavius Vopiscus* (m) confitetur: „ Neminem Scriptorum, quantum ad hi„ storiam pertinet, non aliquid esse mentitum.

Sed redeamus ad illa: Ipsum *Lib. II. Macchab.* scriptorem fateri, se vehementer errare posse. Recitetur igitur locus ille, sed integer, tota ut Scriptoris mens e toto sententiæ nexu pateat. Ita habet Sacer Historicus Cap. XV. ℣. 39. & 40. „ Ego quoque his „ finem faciam sermonis, & si quidem bene, & ut historiæ com„ petit, hoc & ipse velim: si autem minus digne (*in Græco* εὐτελῶς „ *exiliter*) concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bi„ bere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem uti de„ lectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit „ gratus, hic ergo erit consummatus.

Neminem profecto esse puto, qui, si velit modo, non illico intelligat, de *sermonis* elegantia, & exacta, minutaque in enarrandis quibusque adjunctis diligentia hic agi, non de *Historica* rerum gestarum *veritate*. Etenim illene demum *gratus & consummatus* esset historici sermo, qui veris falsa, qui historiis figmenta, ad captandam gloriam excogitata, immisceret?

Piget me de toties retunso hoc *Calvini* telo, quod jam dudum situ æruginavit, porro verba facere: mirabarque, antiquam hanc strophen in *Actis Eruditorum* quoque recantatam fuisse, quam olim (n) *Bellarminus*, (o) *Fullonius*, (p) *Serarius*, docti Jesuitæ, aliique, facili explicatione, imo sola integri ejus loci recitatione, conticescere coëgissent.

Dispicere itaque jam porro libet: sitne *Macchab. Libris* metuendum aliquid a Criticis illis Axiomatis, quæ *Cl. Prolusor* singularium du-

(m) Flav. Vopiscus in Aureliano, sub initium. (n) Bellarminus lib. I. de Verbo DEI, cap. 15. (o) Fullonius, Commentar. & Excurs. in Lib. Macchab. in hunc locum. (p) Serarius in Comment. in hunc locum.

dubiorum objectioni præmisit. Ita habet : (q) „ Recte autem
„ requiruntur ab historico præcipue hæ (*virtutes*) ut in eo statu
„ sit, quo possit scire verum. Censetur autem quis esse ea con-
„ ditione, si vel omnino possibilis ei fuit veri cognitio, vel si ne-
„ cessario rei intelligentiam habere debuit.

Hanc virtutem largiri se ait *Cl. Wernsdorfius*, Historiæ Macchabææ Scriptoribus, si operam & industriam, quæ par erat, adhibere voluissent. Negare sane id non potuit Scriptoribus pervetustis, quique in confinio Syriæ, aut in Syria ipsa fuerint; fuere illi porro ex eadem gente, cui cum Syris ea bella intercessere, quæ potissimam historiæ impugnatæ partem faciunt. De scriptorum diligentia bene sentiendum, dum contrarium demonstretur: ea res ad singularium dubiorum tractationem est potius rejicienda.

Prosequitur *Cl. Adversarius* coeptum sermonem ita: (r) „ Al-
„ tera virtus est, ut velit dicere verum, & talem putamus eum,
„ si vel nulla ratio adest, cur secedere debuisset a vero, vel si res
„ ita comparata est, ut falsus esse haud potuerit. „ Explicatio sententiæ videtur isthic ipsa sententia esse nonnihil obscurior. Nam si in eo res vertitur: velitne aliquis verum dicere? haud pervideo, quid illa huc faciant: *Cur secedere debuisset a vero*, & *falsus esse haud potuerit.* Ut verum loqui quisquam serio *velit*, proba voluntate ac diligentia est opus : ut *possit*, nosse verum oportet ; tantum.

Porro signa in Prolusione adferuntur, e quibus judicium ferri possit: verumne dicere voluerint historiarum Scriptores ? eorum indiciorum prima promuntur ista : (s) „ Ut advertas animum ad
„ naturam rei, de qua narratur, an res facile accidere potuerit, &
„ an tale quid accidisse, in se habeat aliquid verisimilitudinis.

At, nihilne ergo excellente quadam, & per ardua quæque eluctante virtute gestum recipietur in historiam ? Nihilne a populo ac Ducibus, pro vero DEI cultu acerrime certantibus, supra humanarum virium verisimilitudinem, Divino auxilio, interdum confectum concedent illi, qui sacris Veteris Testamenti historiis synceram fidem, ac reverentiam præstant ?

Reliqua porro Criteria ita recensentur : (t) „ Mox personam
„ Scribentis spectes, ubi ad animum revocanda erunt, quæ aliun-
„ de de ea cognita habes, & quo scribendi genere utatur ; num
„ dexteritatis, sincerique animi documenta verbis edat, videndum.„

(q) Prolus. pag. VI. (r) Ibidem. (s) Prolus. pag. VI. (t) Prolus. pag. VI. & VII.

Attamen quæri a nonnemine hic ulterius posset: ecqua tandem dexteritate sit opus, quando dexterrimi quique, si fallere velint, dexterrime mentiuntur: neque vero iis, qui splendido verborum apparatu synceri animi documenta edere norunt, præ ceteris fidem habendam existimo.

Clauditur generica ista historicæ Criseos doctrina hisce monitis: (u) „ Porro cognoscas, quibus in rebus, & qua ratione conformia recitet aliis optimæ notæ Scriptoribus, & quomodo hi inter se conspirent. Denique exquiras, num res, quæ narratur, cum aliis, haud negligendis rerum gestarum, quæ hodienum superant, monumentis conveniat. „ Monumenta Seleucidarum certa, eaque synchrona, præter Numismata, paucasque Inscriptiones, alia fere nulla superant; Numis Seleucidarum, in Chronologia præcipue, quæ probandæ Historicorum fidei lapis Lydius dici potest, egregie plane cum *Libris Macchab.* convenire, inficias, credo, eorum ibit nemo, qui Annales meos cum Prolegomenis attente perlegerit: Inscriptiones antiquæ, ista quidem certe in caussa, momenti parum adferunt. Quod ad Scriptores *optimæ notæ* attinet; alios, præterquam coævos, aut propinquæ ætatis, in eorum classem non recipio: de ceteris (quorum posteriores quique fere priorum scripta rescribunt) consentiant, an discordent, haud magnopere curandum arbitror, ubi præsertim præsto sint antiquiorum Scriptorum, aliorumve monumentorum suffragia.

Excussis iis, quæ universe in *Libros Macchabb.* ostentata, aut expedita sunt arma, ad singulares velitationes descendere me cogit Prolusio. Primum Exemplum, cujus caussa in relati figmenti suspicionem Sacer Scriptor adducitur, ita *Cl. Wernsdorfius* recensuit: (x) „ Refert conditor Libri I. Maccab. Antiochum a Romanis vivum fuisse captum. Quis hoc sibi persuadere possit, si vires illas, quibus pollebat Antiochus, mente secum pensitet? „

Exigua profecto ad hoc sibi persuadendum ratiocinatione opus est; Posteaquam enim Rex iste Antiochus III., Magni titulo insignis, cum omnibus iis, quibus pollebat, viribus, decretorio illo ad Magnesiam prælio vinci a Romanis, atque ita vinci potuit, ut exercitu omni, partem cæso, sauciove, partem fugato, aut capto, castris occupatis ac direptis, Rex ipse turpi, trepidaque in fuga, per noctem totam accelerata, ægre denique salutem invenerit;

(u) pag. VII. (x) Prolus. pag. VIII.

rit; (y) Eccur idem infortunatus Rex capi nullo modo potuit, aut in illa fugæ trepidatione, aut antea quoque, cum nimis avide, cedens Romanorum cornu alterum, insequeretur: aut occasione alia, cum speculatum egrederetur, vel cum in Asia huc illuc commearet? modico tamen tempore captivum Regem in manibus hostium fuisse arbitror; quippe, qui aut corrupto pecuniis captore, aut Scipionum dissimulatione, aut suorum virtute, aliave ratione, post paullo, quam captus fuisset, libertatem recepisse videatur. Quidvis horum, uti probabile, ponere licet, quando Sacer Historicus rem ipsam diserte refert, περιςάσεις non item.

Hic autem instat *Cl. Prolusor:* (z) „ Sed evolvamus (inquit) „ alios Historicos, & an eadē referant, speculemur: sane silent de hac „ re probatissimi Scriptores, Polybius, Livius, ceteri. Nonne hoc „ silentium suspectum reddit istum Libb. Maccab. Auctorem? „ Minime, inquam; Nam Polybius hac de captivitate silet utique, qui de totius Asiatici hujus belli casibus nihil, nihilque adeo decretorio illo de prælio commemoraverit, quod quidem ad nostri ævi notitiam pervenisset. Quisquis Polybium pervolvit, novit sane, hoc de bello *Legationum* fragmenta quædam tantummodo superare; porro *Legatio XXIII.* in eo terminatur, cum Antiochus, desperatis honestæ pacis conditionibus, abruptisque consultationum tricis, bellum Asiaticum in Asia adversum Romanos totis viribus sustinere constituit. Deinde *Legatio XXIV.* illico hoc exordio subjicitur: „ Post Victoriam Romanorum de Rege Antiocho, &c. „ neque aliud subinde, nisi Legatorum de pace constituenda missio, ipsæque pacis Conditiones referuntur. Silet igitur profecto de capto Antiocho Polybius, qui de belligerante nihil, quo quidem edoceri plura possemus, in iis, quos tenemus, libris prodiderat. Attamen unus demum adferri poterat Polybius, qui cum *Auctore Libri I. Macchab.* pari antiquitatis titulo, parique fere Syriacarum rerum notitia polleret, ut de sacra auctoritate hic nihil dicam.

Jam vero *Livius*, & eo magis ceteri, ætate atque auctoritate Livio inferiores, nimium ab Antiochi Magni temporibus remoti sunt, quos, si negarent etiam captum fuisse Antiochum, quod non faciunt, ne tum quidem adversus *Librum I. Macchab.* audiendos arbitrarer. Quanquā *Livius* ipse, de bene multis rebus, hoc bello Asiatico gestis, inter Auctores non constare confiteatur. Dum enim capti ab

(y) Livius lib. 37. (z) Prolus. pag. VIII.

ab Antiocho P. Scipionis Filii *Livius* meminit, quem Rex liberaliter, atque etiam splendide habitum, ante infaustum illud prælium, Patri sine pretio restituisset, ita scribit: (a) „ Filius ejus (P. Scipionis) captus, in potestate Regis erat. Is ubi, & quando, & „ quo casu captus sit, sicut pleraque alia, parum inter Auctores „ constat.

Atque hæc ipsa Regis generosa munificentia causa utique esse potuit, cur captum Antiochum (nisi aliter evasit) illico elabi passi sint, silentioque presserint Scipiones; ea res ita tamen omnino celari non potuit, quin aliquid efflueret, Romæque subinde L. Scipio „ de *præda CUM Antiocho capta* „ accusaretur, uti ex *Epitome Livii Lib. XXXVIII.*, *in prolegomenis* animadverteram.

Hic ego *Cl. Prolusoris* fidelem diligentiam potiori jure desidero, quam ipse in *Libris Macchabb.* eandem requirat. Scripseram ego de lectione hujus loci ita: (b) „ *Epitome Livii Lib. XXXVIII.* „ *Editio Basileensis 1539. item Parisina 1552.* &c. *ALIQUAE Editiones habent EX Antiocho.*

Contra *Cl. Adversarius* ita de me: (c) *Enim vero ipse* - - - - - „ *Frœlichius ingenue confitetur, istud CUM Antiocho, in quo omnis vis, &* „ *robur probationis nititur, TANTUMMODO in duabus Editionibus sic* „ *legi, reliquas OMNES habere ex Antiocho.* Si omnis vis, & robur isthic nititur (quod non concedo) tanto minus illud TANTUMMODO, verbis meis adjectum, atque τὸ ALIQUAE, in OMNES immutatum oportuit. Ego *omnes* Editiones *Livii* non consului, neque ingenue *confiterer*, sed illiberaliter a veritate abirem, si scriberem reliquas OMNES aliter habere. *Duas* Editiones adduxi e præstantissimis earum, quas Bibliotheca Collegii nostri Academici continet. Sed solæ nequaquam sunt. Nam cum duas alias primæ auctoritatis Livii Editiones nuper inspicerem, Aldinam unam Venetiis an. 1521., alteram Tarvisii an. 1482. a Joanne Vercellio elaboratam, in utraque deprehendi scriptum CUM *Antiocho*. Hæ quatuor Editiones a me inspectæ sunt. Unde & in Actis Eruditorum pag. 488. haud accurate scriptum fuit: *Plurimas Livii* Editiones habere: EX Antiocho; nam *aliquæ*, & minoris momenti, ita habent. Producat *Cl. Adversarius* editos Codices, istis pares, aut meliores, qui aliter legendum doceant; ego tempus his porro investigandis non teram.

Ex-

(a) Livius lib. 37. (b) Prolegomen. pag. 32. nota c. (c) Prolus. pag. VIII.

Expendamus tandem id quoque, quod *Cl. Wernsdorfius* opinatur: eam de capto Antiocho historiam, si vera fuisset, non omissuros Romanos Scriptores, qui rem fuse narrassent, quippe quæ egregie extollere potuisset Romanorum gloriam, cujus, ut ipse loquitur: (d) „ *Omnium avidissimi erant Romani.* „ Primum, Historici illi, nimium recentes, ignorare potuerunt eam captivitatem, quæ præsertim velut in transcursu evenisset. Deinde si *omnium avidissimi gloriæ Romani* Scriptores erant, avidiores erant gloriæ, atque *Scriptores Libb. Macchabbæorum*; itaque de multis ubique inspersis ad gloriam tantum confictis, magis etiam suspecti sunt: atque adeo auctoritatem Fontis Historici, etiam dum alia scribunt, minus quoque, quam *Libri Macchabb.* promerentur, si emunctioris naris Virorum judicio acquiescimus. Nihil igitur eorundem silentium habet auctoritatis.

Non præteribo isthic, quod prætermissum in *Prolusione*, duplicem in prolegomenis meis ostensam esse viam, qua ad vindicandam hac in Historia *Lib. I. Macchabb.* fidem, tuto perveniretur: alteram longiorem, quam in præsenti tenuimus; alteram breviorem, securam tamen, & olim tritam, qua recte asseritur: Auctorem *Lib. I. Macchabb.* (e) non ipsum narrare, aut affirmare, captum esse Antiochum; sed referre id tantum: Judam & Judæos *audivisse* ista. Ecquis tam inexorabilis erit Criticus, qui ista *audivisse* Judæos neget, asserente id Scriptore tam vetusto, neque de studio gloriosæ isthic suspecto?

Aliud jam exemplum producit *Cl. Adversarius* ex *Lib. II. Macchab. c. 8.* Ubi Judas Dux, suos adlocutus, & prolatis majorum exemplis animos addens, illud quoque commemorat: Quo „ non adeo „ magna * cohors (*Prolusionis verba pag. IX. recito*) Judæorum, „ quippe non ultra octo millia Virorum, auxilio Divino CXX. „ millia hostium felici pugna superaverit. Certe (*inquit*) hæc res „ est prodigii simillima, & omni destituitur fide.

Sit enim vero non prodigio jam simillimum, quod narratur, sed apertum, sed grande prodigium; attamen ubi diserte διὰ τὴν γενομένην αὐτοῖς ἐξ οὐρανοῦ βοήθειαν, „ Auxilio iisdem e cælo sub-

 „ miss-

(d) Ibid. pag. IX. (e) Lib. I. Macchab c. 8. initio &c. * Viderint Grammatici & Antiquarii, utrum octo millia Virorum, non adeo magna Cohors, dici possint; cum Legio, quæ maxima, octo millibus constaret: Cohors vero decima vel duodecima Legionis pars esset.

„ misso „ ab electo, pioque populo id gestum esse perhibetur, num continuo *omni destituitur fide?* Sed mittamus ista; quin e converso victoriam a Sacro Scriptore relatam ita prodigiosam, ut fidem omnem excedat, videri Viro, qui de Historica Crisi, atque de Scriptorum Auctoritate arbitrum se ferat, res est prodigio simillima. E notis hoc in genere exemplis unum in medium adferam, quo pateat, necesse non esse, ut prodigiis eam victoriá accenseamus. Lucullus militum millia non amplius undecim secum trahens, Tigranem vicit, trecentis sexaginta millibus stipatum, uti calculum subducit *Usserius in Annalibus V. T.* (f) medium quiddam inter Auctorum sententias eligens; vicitque ita Lucullus, ut (*Plutarcho teste*) (g) peditum C.M., equitatus pene omnis de Tigranis copiis interierint: e Romanis desiderati sint quinque, vulnerati centum. Neque idcirco adhuc, quod sciam, *Plutarchi*, aliorumque, qui eam pugnam descripsere, fides Historica naufragium fecit.

Illud porro dissimulandum in Macchabæa illa Historia non erat, Judæorum octo millibus in eo prælio Macedonum sociorum quatuor millia adfuisse, quibus hæsitantibus, Judæi *Divino auxilio* vicere, & victoriam, cæsis CXX. millibus, consummavere; ita Sacer Scriptor: Ὡς οἱ πάντες (*Judæi*) ἐπὶ τὴν χρείαν ἦλθον ὀκτακισχίλιοι, σὺν Μακεδόσιτε τετρακισχιλίοις, *cum Macedonibus quater mille.* Lucullus, nulla facta prodigii mentione, cum XI. millibus, plus quam CCC.M. profligare potuit; Judæi *Divino auxilio*, ut grato animo fatebantur, nixi, ipsi VIII. millia, cum sociorum IV. millibus, universe XII.M. cædere hostium CXX. millia non potuere, eaque res, si superis placet, *omni destituitur fide?*

Quid? quod *Lib. I. Macchab.* (h) narratur: a tribus Judæorum millibus, una die, in urbe Antiochia seditiosorum, qui in armis erant, C.M. occisa esse. Excipiet fortasse *Cl. Prolusor*, & *primi Lib. Macchab. Auctorem* perinde, ac *secundi* (siquidem diversi sunt) fide, vel Historica, indignum reponet, uti alias de utroque Libro perinde inclementer loqui videtur. Sed hic ego illi terribilem adversarium opponerem, & in eos, qui contradicere suis opinionibus auderent, dicacissimum, *Martinum Lutherum*, qui *in Præfatiuncula ad Lib. II. Macchab.* „ Tam dignum esse (*censet*) Librum I. Macchab. „ qui in Canonem recipiatur, quam dignum Librum II. qui inde „ expungatur. „

Unum

(f) Ad an. a. ær. Christ. 69. (g) Plutarchus in Lucullo. (h) Cap. 11.

Unum denique etiam hic mihi obmovetur, *Flavii Josephi* Auctoritas, qui *Lib.XII. Antiquitat.cap.7.* (non cap.2. ut *in Prolusione*) eandem Judæ Ducis adlocutionem exhibeat, quam *Auctor Lib. II. Macchab.*; neque tamen memorabilis illius Victoriæ ullo verbo meminisset. Id silet *Josephus*; quid tum postea? sed refert antiquior Scriptor noster; refert idem aliam adlocutionem, multo illa *Josephi* verisimiliorem; quippe in qua ad animandos Judæos a majoribus præclare gesta, mira brevitate, proferuntur: dum contra *Josephus* contextam e Rhetoricæ locis communibus dictionem, ne illam quidem fusam (uti voluit *Cl. Prolusor*) & nullis, contra solemnem Judæorum morem, majorum exemplis efficacem, exhibuit. Itaque e *Lib. II. Macchab.* aut suppleatur, quod in *Josepho* deest: aut omnino *Josephus* recentior e vetustiore *Scriptore Macchabæo*, ita censente *Usserio*, corrigatur.

Alter deinde *Lib. II. Macchab.* locus e *cap. 2.* in *Prolusione* adducitur, dudum a *Calvini* asseclis *Wittakero*, *Hunnio*, *Junio*, divexatus, a *Bellarmino*, *Gretsero*, *Serario*, (i) Jesuitis, dudum vindicatus. De Jeremia Propheta illic narratur: ab eodem Altare, Arcam, Tabernaculum, esse in montem Nebo ex urbe Jerosolymorum elata, atque in ejusdem cavernam abdita. Hac de re ita *Cl. Adversarius.* (k) „ Fertur is (Jeremias) plus, quam Herculea vi Tabernaculum, Arcam, & Altare per arma, per ignes, in ipsa direptione urbis exportasse, atque in spelunca quadam montis Nebo abscondisse. Mira sane res: præsertim cum ipso illo tempore carcere conclusus detineretur. „

Primum illa: „ *per arma, per ignes, in ipsa direptione urbis*, videntur esse, & vero sunt περιστάσεις, ad deprimendam *Libri II. Macchab.* gloriam confictæ; nihil sane de his in Sacro Auctore. Deinde Jeremias solus non fuit, qui sacra hæc onera in montem exportasset; ita siquidem res narratur: „ Erat autem in ipsa Scriptura, quomodo Tabernaculum, & Arcam jussit Propheta, Divino responso ad se facto, comitari secum, usque quo exiit in montem &c. Ἐκέλευσεν αὐτῷ συνακολουθεῖν, jussit secum comitari. „ Non ipse unus extulit: nulla arma, ignes nulli; itaque Herculea, aut Samsonica vi opus non erat ei, qui comitari Tabernaculum, & Arcam juberet. In monte ipso deposita sacra, aut solus in speluncam

(i) Bellarminus de verbo DEI lib. 1. c. 15. Gretserus in defensione Bellarmini lib. I. de verbo DEI c. 15. Nicol. Serarius in Comment. in hunc locum. (k) pag. X.

cam moliri potuit Jeremias, aut unum, vel alterum fideliorem adhibere socium, quin alii, qui comitati fuissent, locum cavernæ nossent, aut subinde detegerent, quo repositus erat Sacer thesaurus. Porro nego: *in direptione urbis* istud factum; sed antea gestum est, cum liber Jeremias, ab Jechonia Rege id impetraret, ne sacra ab hostibus profanarentur. Evenisse autem ista ante direptionem illam urbis, sub Sedecia Rege patratam, manifesto indicio est Caput *LII. Jeremiæ* (l) ubi minute recensentur singula, quæ quantulicunque pretii, in manus hostium ea direptione e sacro instrumento venissent, ad mortariola usque; neque ulla tamen illic Tabernaculi, Arcæ, Altaris mentio, quæ multo auro, & pretiosissimis lignis Sethim, aliisque ornamentis splendida, & vero ob summam populorum venerationem, ceteris omnibus excellentiora ab ipsis hostibus haberentur, atque præ ceteris avide, si aderant, abriperentur.

Mirari itaque desinat *Cl. Prolusor*, ne mirabile nonnullis videatur, rem a *Gretsero nostro* (m) prolixe, & egregie dudum explicatam, hic admirabilis, novique dubii & argumenti instar repræsentari. Attamen operosis hisce ambiguarum argumentationum velitationibus perfunctus, & veluti lassus, victoriam sibi promittit *Vir Clarissimus*, hisce verbis: (n) „ Sed hæc „ sufficere credimus ad probandum, Conditores Librorum, qui „ Macchabæi adpellantur, etiam in iis rebus, quæ Syriam spectant, „ sæpissime a vero aberrasse multaque falsa & commentitia suis „ inspersisse narrationibus. „ Quî potuit probari: fuisse *sæpissime* in rebus *Syriacis* aberratum, dum prolatorum trium exemplorum *Unicum* illud Antiochi capti, ad *Syriæ* Reges proprie pertineret: atque ne in hoc quidem attollendæ Judæorum gloriæ ulla sese dedisset occasio?

Progrediamur ad reliqua, quæ de triplici, ac plane diverso, ejusdem Antiochi IV. mortis genere, deque Antiochi Sidetis, seu Evergetis obitu injecta, sive repetita sunt dubia. Sunt ista duo ita inter se connexa, ut alterum ex altero inseparabili nexu aptum pendeat. Ea ego in *Prolegomenis* meis, (o) & in *Annalibus*, utraque ita exposuisse mihi videor, ut pigeat scripta rescribere, adversus

(l) Jeremiæ c. 52. a versu 17. ad 24. (m) Loco supra citato in i. (n) pag. X. (o) Prolegomenorum parte II. cap. 6. & parte III. cap. 4. & in Annalibus ad an. Seleucid. 183. & 187. pag. 82. & 86.

ſus quæ nihil profertur, quod robur ullum præ ſe ferat, aut quod me cogat nova Argumenta circumſpicere. Equidem primo oſtenderam: e conſtante Latinorum, & Græcorum Codicum interpunctione, Epiſtolam illam *Lib. II. Macchab. Cap. 1.* relatam, anno Seleucidarum, ſeu Græcorum CLXXXVIII. ſcriptam eſſe; quæ cum perhibeat Antiochum, Judæorum olim hoſtem, in templo Nanææ in Perſide, a ſacrificulis lapidibus obrutum, idque, ut haud ita dudum patratum, ſignificet, ea res ad Antiochorum alium, quam Evergetem, referri non poteſt; id quod ex certa continuaque eorum temporum Chronologia, Regumque ſerie, ſi uſpiam, ibi maxime multis numis comprobatum, extra controverſiam poſui.

Adverſum Numaria argumenta non luctatur *Cl. Adverſarius*, ſed denique queritur: (p) „ Duriuſculum videri, Scriptorum diverſis multisque de morte hujus Antiochi opinionibus novam his „ addere, atque ut defendantur, quædam in *Lib. Macchab.* verba, „ narrationes tot Scriptorum rejicere, qui in eo tamen conveniant, victum apud Parthos Antiochum interiiſſe.

At enim opinio iſta de cæde Antiochi Sidetis, ſeu Evergetis in templo Nanææ facta, non omnino nova eſt, ſed ante ſex admodum Sæcula a *Ruperto Tuitienſi* (q) propoſita, a me novis fuit argumentis, Numisque conſtabilita. Deinde Scriptores illi reliqui, omnes ætate inferiores ſunt tam Numis, quam *Lib. Macchab. II.*, quod unum ſatis eſt: & porro ſunt ii diſcordes, atque in *Parthia* ſola appellanda conſpirant, in qua *Victum* Regem, ego quoque conſentio, ſed eo prælio, quo illi ſcribunt, occubuiſſe nego. Diſcordiæ Scriptorum cauſam admodum probabilem attuli, quam *Cl. Proluſor* recenſuit, (r) neque verbo ullo improbavit.

Itaque e triplici illo mortis genere, quo *Antiochum IV.* interfectum eſſe, ſi *Libros Macchabæorum* ſequamur, cavillatur famoſus ille *Petrus Bayle* ævi noſtri *Lucianus*, oſtentatoria nempe, & collectitia eruditione ferox Religionum deriſor (cujus verbis nollem ſane Proluſionem fuiſſe contaminatam) e triplici inquam, mortis genere unum jam expunximus, quod Antiocho Evergeti debetur. Reliquum eſt, ut *Libri I. Macchab.*, *&* *Libri II.*, de morte Antiochi IV. narrationes conciliemus, quæ diverſæ videbantur. Præſtitum id abunde fuit in *Prolegomenis*, *&* *Annalibus*. (s) Duas illic demonſtra-

(p) Pag. XIII. & XIV. (q) Rupertus Tuit. lib. 10. de Victoria Verbi DEI. (r) Proluſionis pag. XIV. in notula. (s) Locis in o. citatis.

ſtravi vias, quæ ad hunc finem conducant. Prior in eo erat, ut dum Latini Codicis lectionem e Græco explicarem, ambos conciliarem: ut, dum *Lib. I. Cap. 6.* Babylonem *Reverſus* eſſe Antiochus in Latino legitur, non reapſe, ſed animo, conatuque tantum *Reverſus*, nempe *reverti voluiſſe* e Græco intelligatur; ita enim legimus: Καὶ ἐπῆρεν ἐκεῖθεν μετὰ λύπης μεγάλης, ἀποστρέψαι εἰς Βαβυλῶνα. „ *Et profectus eſt inde* (*Elymaide*) *cum triſtitia magna, ut reverteretur in Babyloniam.* Ita nihil difficultatis in *Lib. II.* relinquitur, ubi *Cap. 9.* idem Antiochus peregre in montibus obiiſſe ſcribitur, prope urbem Tabas, quæ a *Polybio* Perſidis (nempe in Babyloniæ finibus) locus appellatur. Hæc prior via erat. Poſteriore altera ſi incedamus, atque ſolius Codicis Latini lectionem ad literam ſumamus, Antiochum Babylonem quidem *veniſſe*, ſed agitato curru inde verſus Syriam progreſſum, ad Tabas in Syriæ, & Babyloniæ termino, in montibus expiraſſe ſtatuemus. Tabarum in Syria Peræa *Stephanus Byzantius* meminit.

Cl. Wernsdorfius mentem meam haud ſatis perſpexiſſe videtur, dum ſcribit: (t) me ipſum mihi in priore illa via, e Græco complanata, non placuiſſe, ſed alias Tabas me exquiſiviſſe. Ego vero in *Prolegomenis* utramque ſententiam expoſui: utramque probavi, neque alteram alteri prætuli. In *Annalibus* (u) porro rem ita proponere ſtudui, ut cum alterutra ſententia ſtare ea narratio poſſet; aſt in notulis, ubi teſtes pro more adducti, priorem ſententiam Græco Codice nixam, mihi præ poſteriore placere innui, dum *Polybium*, (x) qui priori ſententiæ favet, omiſſo Stephano Byzantio, teſtem appellavi.

Eſt hic, quod Typothetæ, ſive Correctori *Proluſionis* merito ſuccenſeam; ita in ea legitur de me: (y) „ Nititur inprimis verbo τοῦ ἀποστρέψας, quod ibi legitur; atque ipſum ſic explicat: „ reverſum eſſe animo, & conatu, non re. Refertur itaque τὸ „ ἀποστρέψας ad conatum, ſed ſine ulla probatione &c.

Quid ſibi iſta volunt? ego enimvero nequaquam τοῦ ἀποστρέψας (*Reverſus*), ſed τοῦ ἀποστρέψαι, *ut Reverteretur* me nixum eſſe, & etiamnum niti contendo. Nam in *Bibliis Polyglottis Complutenſibus* „ *Antverpienſibus*, & *Londinenſibus*, habetur τὸ ἀποστρέψαι, hoc loco, uti ego ſcripſeram, atque latine redditur: *Ut Reverteretur*, eademque ſententia habet *Syrus Interpres.* Itane vero ego ſine ulla

(t) Proluſ. pag. XII. (u) pag. 50. & 91. (x) ibidem in notula p. (y) pag. XII.

ulla probatione *τὸ ἀποςρέψαι*, *ut reverteretur*, ad animum revertendi retuli, quando hæc vox *ἀποςρέψαι* aliter verti, nisi pervertatur, & mendose exscribatur, non potest? Cur in illo alio Græco vocabulo *περιςάσεις*, quo facile carebamus, nihil Typotheta, aut alius peccavit? hic, ubi ego nimirum hac voce *ἀποςρέψαι* nitor, & merito nitor, eccur isthic *semel iterumque* peccatur, & ita peccatur, ut sententia mea, perversa hac voce *ἀποςρέψας*, omnino collabi, neque ulla probatione niti videretur?

Porro frustra sunt, quæ istis adjungit *Cl. Prolusor*: (z) Si tantummodo iter cogitaverit (*Antiochus*) ad urbem Babylonis, necesse esset, ut supposititiæ sint istæ orationes, quæ enarrantur ibidem brevi ante mortem. „ Legat eas orationes in laudato *Lib. I. Macchab. Cap. 6.* qui volet, & cuivis me exsibilandum loco, si sit illic aliquid, quod non æque ad Tabas in montibus, aut quædam non isthic melius, quam Babylone dici potuere. Nam quod amicos Antiochus convocaverit, eorum utique nonnulli, etiam iter facienti Regi, usque præsto fuere. Contra vero ipse ille Versiculus, qui proxime consequitur, memorabile illud *ἀποςρέψαι*, *ut reverteretur in Babyloniam*, ita habens. „ Et venit, qui nunciaret ei in Perside &c. „ manifesto indicat, non dum Babylonem pervenisse Regem, sed in Perside etiam tum offensum esse, atque ILLIC, PEREGRE, quia extra Syriam & Antiochiam, in montibus obiisse, uti hæc enarrat *Lib. II. Macchab. Cap. 9.*

Neque porro quidquam (quod egomet mihi hic ultro solvendum oppono) sententiæ nostræ officit, quod in commemorata, laudato loco, *Antiochi Epistola*, Rex ita ad Judæos de itinere suo scripserat: „ Reversus de Persidis locis. „ Nam *τὸ Reversus* idem hic valere ac *Revertens* seu *Rediens*, ex Græco manifestum est; legimus enim ita: Ἐπανάγων ἐκ τῶν περὶ τὴν Περσίδα τόπων. *Ego „ rediens de locis circa Persiam, seu Persidis*; ubi sane *ἐπανάγων rediens*, præsenti tempore exprimitur: alioqui *ἐπανάξας*, reditu jam absoluto, scriptum oportebat. Hanc *τῦ Reversus*, seu *Rediens*, notionem plane confirmat, & Babylonem Regem non attigisse docet totius narrationis, de Antiochi itinere atque interitu institutæ, finis, qui ita habet: „ peregre in montibus miserabili obitu functus est. „

Postremum denique nodum ita explicandum offert *Cl. Prolusor*: „ (a) Ceterum notissimus est locus sub initium *Libri I. Macchab.*,

 „ quo

(z) Ibidem. (a) Prolus. pag. XIV.

„ quo Alexandrum M., morti proximum, regnum inter amicos „ divisisse adfirmatur, quum tamen id multos annos post accide- „ rit. „ Non eadem certe Regni divisio, quam ab Alexandro factam Sacer Scriptor perhibet, ab eodem Rege multos annos post, quam obierit, suscipi potuit; alia sane ista Satraparum inter se, eaque duplex fuit Regnorum partitio. Prosequitur Prolusio: Quem (*locum de Alexandri M. divisione*) „ quum pariter multo ex opti- „ mis Scriptoribus, de Testamento Alexandri sermone studuerit „ vindicare - - - - - Frœlichius, ea tamen omnia nondum suo „ robore constare demonstratum est in Actis Erudit. Lips. mens. „ Septemb. 1745.

Si deducto ex optimorum Scriptorum fide sermone, testamenti vel distributionis aliquid ab Alexandro, ante obitum, factum ego vindicare studui, acceditque præterea antiquissimi Testis, *Libri I. Macchab.* auctoritas; facile quivis conjiciet, quo pacto demonstrari in Actis Eruditorum potuerit: ea omnia nondum suo robore constare, quæ caute admodum in Prolegomenis a me scripta, dubiaque, quæ obmoveri solent, occupata fuisse, existimo. Demonstratio omnis in *Actis Erudit. pag.* 487. His denique verbis nititur: „ Sed quamvis etiam contra hæc nonnulla moneri possent, dabi- „ mus tamen *Alexandrum* condidisse testamentum; num, quæsu- „ mus, inde sequitur, eum, cum adhuc viveret, Regnum inter „ amicos divisisse?

Arbitror sane & a *Vivente* condi Testamentum, & eodem *Dividi* ac *Distribui* possessa; etsi ea actu non dividantur, ac distribuantur. De voce litigare non lubet.

Vocata jam sunt in Examen singula, quibus *Cl. Wernsdorfius* historicam quoque *Libb. Macchab.* auctoritatem dubiam reddere laborabat. Ne tamen quidquam a me prætermissum queri possit; etiam ea, quæ in adjectis notulis aspergere ipsi visum est, ab aliis in *Libros Macchabb.* recocta, isthic in medium producam. *Prolusionis pag. VII.* ubi de gloria gentis Judaicæ scrupulus ingeritur, notula subscripta de sequentibus nos monet: „ Ita fœdus & cognat. „ Jud. & Spart. quæ extant Lib. I. Maccab. c. 12. esse falso exco- „ gitatas, omnemque de iis narrationem, ad gloriam Jud. effictam, „ docuit frater meus Gottlibius, in Orat. qua Prof. munus adiit „ Gedani 1744. in 4. de Cognat. Jud. & Spart.

Orationem illam *Gottlibii Wernsdorfii* non vidi; nec Argumenti quidquam inde in Prolusione depromitur. Liceat itaque mihi interea meum in Christo fratrem, *Dionysium Petavium* (ut alios fratres Serarium, Fullonium, Cornel. a Lap. omittam) *Cl. Prolusoris* fratri opponere, *Petavium*, inquam, *Gottlibio* oppono; is *Lib. X. de Doctrina Temp. cap. 53.* materiam hanc omnem erudite, solideque pertractat, atque a figmenti suspicione *Libri I. Macchab.* Auctorem eximium ostendit.

Alia notula *paginæ VI.* inserta, commendat Protestantes quosdam, qui adversus Canonicam *Lib. Maccabab.* auctoritatem consurrexissent; ita habet: „ De Auctoritate horum librorum vide Jo. „ Alb. Fabricii B. Gr. I. III. c. 29. p. 748. it. Christ. Scheibler Tr. „ contra Canonicam autoritatem Lib. Macchab. Trem. Multa au„ tem super ea re erudita habet S. Ven. Jo. Gottl. Carpzovius, in „ Præf. P. III. Introduct. ad Libb. Canon. Bibl. V. T. „

Pace mea, vel sexcenti ejuscemodi Scriptores recenseantur, iique ab eruditione quantumvis dilaudentur; nihil; hic quidem, ad rem ista. De Scriptorum Sacra seu Canonica auctoritate certi aliquid constituere, illius demum est, cujus est, de veris Christianarum ovium pascuis, de Verbo DEI inquam, ab aliis elucubrationibus secernendo, ferre sententiam, cuique eam potestatem fecit *DEUS* idem & *Homo*, *Servator Christus*. Equidem *Christus*, ne quid in re tanti momenti ambigeremus, Ternis adeo mandatis commisit Petro: pasceret Oves, Agnosque suos. Petri legitimos Successores novimus: Supremi Pastoris, conspirante ceterorum Pastorum sententia, vocem accepimus, mentemque tenemus; verbo: Ecclesiæ Catholicæ constantem ab antiquissimis inde temporibus sententiam habemus, quæ inter Sacros Veteris Testamenti *Libros Macchabæorum*, *Priorem*, *Alterumque* referendos censuit.

Agnovit istud *S. Cyprianus*, qui *Lib. I. Epistola 3.* alias inter Canonicorum scriptorum Sententias, e *I. Macchab. Lib. Cap. 2.* unam, sine ulla exceptione, adduxit. Porro *S. Augustinus Lib. XVIII. de Civ. Dei C. 36.* Ecclesiæ Catholicæ mentem his verbis diserte exponit: „ Macchabæorum Libri, quos non Judæi, sed ECCLESIA pro „ Canonicis habet. „

Idem olim pronunciavit, sanxitque Concilium Carthaginiense II. vel aliis III. Idem statuit *Concilium Romanum* sub *Gelasio I. Pa-*

pa anno 494. celebratum. Idem confirmavit *Sacra Tridentina Synodus Seſſ. IV.* Idem cum ſupremo in terris Paſtore, ſentiunt omnes Eccleſiæ Catholicæ Paſtores; valeant, qui ab his ſeorſum ſentiunt, qui Eccleſiæ vocem non audiunt, quantumcunque ſibi eruditi, & emunctioris naris Critici videantur.

Nihil etiam contra ſententiam Veteris Eccleſiæ, auctoritati *Libb. Macchab.* faventem facit id, quod ex *Euſebii Lib. IV. Cap. 26. in Actis Erudit. pag. 483.* adfertur: *Melitonem Sardenſem*, ſecundi Sæculi Scriptorem, *Libros Macchab.* omiſiſſe, dum Canonicos enumeravit. Nam Melito fatetur ſe in Judæam profectum, illic inquiſiviſſe, quinam eſſent Vet. Teſt. Libri? ubi ſane ſecundum Canonem Hebræorum reſponſum eſt: quando nihil dum ea de re Eccleſiæ conſenſus aliud conſtituiſſet; ſubinde tamen eadem Eccleſia, poteſtate eadē pollens, conſenſu ſuo decretisque *Libb. Macchab.* Canoni inſeruit.

Concluſionem Examinis hujus, mei loco, jam adornaſſe in ſua Proluſione videtur *Cl. Wernsdorfius*; qui enim ſub initium ferociorem ſe paullo *Libris Macchabæorum* ferebat adverſarium, qui per decurſum *evidenter* ſe oſtendiſſe dicebat, (b) eosdem a via veritatis prorſus aberraſſe, qui ſimilia *ſatis probaſſe ſe*, (c) & ab aliis quoque *demonſtrata* (d) eſſe, ſibi blandiebatur; is ad extremum expenſis omnibus, ipſe de ſuorum argumentorum robore dubitat; jam: *Vix dari poſſe*, ſcribit, quod antea confidenter aſſerebatur; jam in *fortaſſe* (e) deſinit; jam anxie aliorum conatus excitare *Cl. Adverſarius* contendit, ut *quærant aliquid denique & inveſtigent*, quod nempe ipſe ſe e ſententia nondum inveniſſe animadverteret. Recitentur ipſa *Cl. Proluſoris* verba: (f) „Sed quantum hæ patiun„tur anguſtiæ, quibus continemur, ſatis nos de hac re attuliſſe „credimus, inprimis quum ea tantum mente id, quidquid eſt „operis, a nobis fuerit ſuſceptum, ut alii, quibus major cogni„tio Hiſtoriæ Syriacæ eſt, inde ſe ad inveſtigandum & quæren„dum aliquid ſinant excitari. Certe ego hoc vix dari poſſe ex„iſtimo, ut Libri Maccab. tanquam Fontes, ex quibus maxima „Syriacæ Hiſtoriæ notitia hauriri poſſet, celebrentur. „

His notula ſubnectitur, mirabilis illa, atque poſtrema, cujus priorem partem ſuperius examini ſubjecimus; en eam!

„ Ipſe Auctor poſterioris Libri II. Maccab. fatetur ſe vehe-

„ men-

(b) Proluſ. pag. XII. (c) Ibidem pag. X. (d) Proluſ. pag. XIV. & pag. VIII. in notis. (e) Proluſ. pag. XV. in notula. (f) Proluſ. pag. XIV. & XV.

„ menter errare posse, *Cap. XV. 39.* quumque tantummodo quæ
„ Jason olim contexuerat, in compendium se redegisse idem scri-
„ bit C. XI. 24. fortasse multa præclara omisit, & res minus ne-
„ cessarias addidit. Cur itaque non ostendi posset multa ab eo
„ vero contraria conficta fuisse.

Ex *Jasone* coævo, aut proximæ ætatis Scriptore sua cum desumpserit *Libri II. Macchab. Scriptor*, & quædam in compendium redegerit, eritne id satis causæ, quamobrem eundem multa præclara omisisse, aliaque minus necessaria attexuisse suspicemur? itaque in eandem suspicionem æquo jure vocabuntur *Justinus*, *Florus*, *Athenæus*, *Photius &c.* & vero, quotquot ex antiquissimis, optimisque Auctoribus petiere aliquid, ejusdem illos criminis arguere, atque ex Historicorum Fontium numero expungere licebit.

„ Cur autem ostendi non posset (ad extremum quærit *Cl. Prolusor*) multa ab *Auctore Lib. II. Macchab.* vero contraria conficta fuisse? „ Satis hæc profecto quæstio in se habet responsi; nam si ista, uti primum instituerat, receperatque, ostendere potuisset *Cl. Wernsdorfius*, non esset profecto, cur in ipso Prolusionis fine, validissimi argumenti loco, illud quæreret: fierine possit? quod factum oportebat.

Frustra itaque sunt, qui *Librorum Macchab.* auctoritatem, fidemque, Historicam una & Canonicam, ita impugnant, ut Critica quædam dubia, suspiciones, aliasque difficultates obmoveant, undecumque, majore fere ingenio, quam profectu conquisitas; quasi vero paria istis, & validiora quoque ad speciem argumenta, adversus illos etiam Libros obmoveri non possint, & sint a non paucis objecta, quos Protestantes ipsi ut sacros, & falsi omnis expertes, venerantur. Nihil profecto certi hac in re unquam, nisi Ecclesiæ definientis auctoritate stemus, argutis Criticorum tricis consequemur.

O. A. M. D. G.